



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

2. Fides.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

meo tam infatiabile virtutis desiderium, ut
ejus assequendæ gratiâ, nulli labori parcam,
obstacula cuncta perumpam, & media de-
nique nulla prætermittam.

Aspirationes.

I. *In quacunque die invocavero Te, exau-
di me; multiplicabis in anima mea virtutem.*
Psal. 137. 3.

II. *Bonitatem, & disciplinam, & scien-
tiam doce me; ut in nobis vitia ac volupta-
tes disciplina castiges.* S. Aug. L. 50. Ho-
mil. 3.

III. *Lumen æternum, doce me, virtu-
tum naturam intelligere; earum pretium
& valorem æstimare, earumque bonitatem
toto corde desiderare.*

P A S S U S II.

Fides.

T E X T U S.

*Sine fide impossibile est placere
DEO: credere enim oportet
accedentem ad Deum, quia
est, & quia Remunerator
bonorum est.* Hebr. c. 11. 6.

Cogni-

Cognitio.

Fides est donum DEI ac lumen, quo illu-
 stratus homo, firmiter assentitur omni-
 bus, quæ Deus revelavit, & nobis per Ec-
 clesiam credenda proposuit, sive scripta illa
 sint, sive non sint. *Catech. Canis.* Moti-
 vum fidei, ob quod credimus, est autoritas
 Dei revelantis, qui falli nequit, quia est
 summa Sapientia; & nequit fallere, quia
 est summa & prima Veritas. Duplex autem
 est fides; alia est viva, quæ per charita-
 tem operatur: alia mortua, quæ charitate
 & bonis operibus est destituta.

Actus Fidei, in Examine Parti-
 culari exercendi sunt:

1. Corde firmiter credere.
2. Ore fidem confiteri.
3. Opere eandem confirmare.
4. Pro viribus fidem spargere ac dilatare.
5. Eandem contra hæreticos, aliosque
 fidei hostes fortiter propugnare.
6. Denique pro fide, si gratia illa con-
 tingat, sanguinem proprium fundere.

Consideratio motivorum credibilitatis.

Valde fidem roborat, atque in tentatio-
 nibus contra fidem, animum confirmat
 consideratio motivorum, quæ fidem no-
 stram

stram Romanam, Catholicam, reddunt evidenter credibilem, & nulli alteri sectæ conveniunt. Qualia sunt: 1. Vaticinia Prophetarum. 2. Testimonia Martyrum. 3. Copia miraculorum. 4. Puritas doctrinæ catholicæ. 5. Concordia ejus mirabilis cum ratione. 6. Omnium fidei mysteriorum summa consensio. 7. Mundi conversio. 8. Admiranda fidei, per Apostolos rudes, pauperculos, & inermes, propagatio. 9. Vis fidei in mutandis animis conversorum. 10. Sanctitas, & sapientia Doctorum fidei. 11. Vita illibata fidem recipientium, ejusque præceptis sese accommodantium. 12. Stabilitas Ecclesiæ inter tot persecutiones. 13. Oppugnantium clades. 14. Librorum sacrorum antiquitas. His ritè consideratis, an non meritò cum Hugone de S. Victore dicemus: *Domine, si error est, à Te decepti sumus: nam ista in nobis, tantis signis & prodigiis confirmata sunt, & talibus, quæ non nisi per Te fieri possunt.* Sent. 1. de Trin. c. 2.

Petitio.

Domine JESU Christe, veræ fidei Author & Consummator, qui me præ tot millionibus, in infidelitate, & hæresi æternùm pereuntibus, ad Ecclesiæ Catholicæ gremium, fidemque orthodoxam vocare digna-

gna-

gnatus es ; concede propitius ; ut corde credam ad justitiam ; ore autem confitear ad salutem ; ac opere fidem confirmem, defendam ac dilatem, & sanguinem pro eadem profundam, ad tuam majorem gloriam, Amen.

Aspirationes.

I. Domine, adauge nobis fidem. Lucæ c. 17. Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. Marc. 9.

II. Fac Domine, virtus salutis mea ; ne sim de numero eorum, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. S. Aug. med. c. 2.

III. Credo, quidquid dixit Dei Filius: nil hoc verbo veritatis verius.

P A S S U S III.

Spes.

T E X T U S.

Firmissimum solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ